

liter canaliculatum impresso, lobo basali medio angustiore, scutello multo minore, imprimis angustiore, perparum transverso, elytris aliter sculptis. Quoad pronoti formam potius *Sph. hispidulae* Rtr. transcaucasicae accedit, a qua tamen valde differt staturâ robustiore, capite minus lato quam pronotum multo angustiore, antennis gracilioribus, labro apice minus exciso, pronoti disco minus convexo medio late canaliculatum impresso, scutello multo minore, imprimis angustiore, elytris fortius aliterque sculptis etc.

9. **Phytoecia Varentzowi**, sp. n.

♂. *Ph. virescenti* F. proxima simillimaque, sed staturâ debiliore, formâ corporis angustâ, parallelâ valdeque elongatâ, corpore toto paulo minus dense (semperne?) virescenti-cinereo-tomentoso; antennis tenuioribus, elytrorum apicem paulo superantibus, ad apicem vix attenuatis; mandibulis apice. . . . ?<sup>16</sup>); capite unacum oculis summam prothoracis latitudinem vix superante, crebrius punctato, praeter tomentum pilis erectis nigris brevioribus copiose obsito, fronte paulo magis convexâ, vertice inter oculos manifeste latiore, his non omnino divisis; pronoto angustiore et multo magis elongato, summâ latitudine distincte longiore, cylindrico, lateribus subparallelis, pone medium vix nisi ampliatis, basi aequa lato atque apice, dorso longitudinaliter valde, fere tectiformiter elato, toto multo crebrius et paulo subtilius punctato, brevius nigro-piloso, tomento vittam angustam parumque determinatam medianam nec non utrinque prope basin vittam brevissimam formante; scutello minore dense albido-tomentoso; elytris angustioribus et multo magis elongatis, apicem versus minus attenuatis, paulo subtilius, ad apicem vix perspicue punctatis, dorso pilis nigris paulo brevioribus, ad apicem sensim valde abbreviatis obsito, singuli elytri apice angustiusculo minus obtuse rotundato; pedibus paulo gra-

<sup>16</sup>) Instrumenta cibaria in specimine nostro unico mutilata sunt.

ciliaribus, nigris, prorsus unicoloribus. Ceterum cum *Ph. virescenti* consentanea.

♀ mihi ignota.

Long. ♂  $8\frac{1}{4}$  mm.

*Prov. Transcasica*: Uzun-ada ad mare Caspium (P. Varen-tzow! 21. IV. 1895. — № 770). — Solum specimen (1 ♂) (coll. P. a Semenow).

Etiam *Ph. pilipenni* Rtr. <sup>17)</sup> transcaucasicae proxima esse videtur; cuius a descriptione valde discrepat toto corpore vires-centi-cinereo- seu fere glauco-tomentoso, antennis ad apicem vix nisi attenuatis, prothorace cylindrico latitudine distinete longiore, vittâ medianâ minus determinatâ decorato, elytris angustioribus et magis elongatis dorso multo brevius pilosis, apice multo latius rotundatis, angulo suturali nullo.

#### 10. *Phytoecia tekensis*, sp. n.

*Obereina* Ganglb. <sup>18)</sup>; *Ph. ochraceipenni* Krtz. <sup>19)</sup> turkestanicae simillima, sed paulo gracilior, retrorsum magis attenuata, elytris maculâ obscurâ humerali saepissime destitutis, femoribus vel totis nigris vel summo tantum apice vix rufescens, tibiis solum in triente basali testaceis; antennis utroque in sexu (praesertim in ♂) distinete tenuioribus et gracilioribus, minus dense tomentosis, singulis articulis infra pilis tenuissimis parcius obsitis; capite nitiduscule inter antennas transver-sim impresso plicatoque, toto paulo parcius punctato, pilis accumbentibus incanis (fere non flavescentibus) sat dense vestito, fronte superne longitudinaliter tenue carinulatâ, haud sulcata, fastigio verticis spatio laeviusculo plus minusve determinato ele-vatoque, tenuiter sulcato praedito; pronoto similiter formato

<sup>17)</sup> Reitter: Wien. Ent. Zeitg. 1895, p. 161.

<sup>18)</sup> Ganglbauer: Verhandl. Zool.-bot. Gesellsch. Wien, XXXV, 1885, p. 524.

<sup>19)</sup> Kraatz: Deutsch. Ent. Zeitschr. 1882, p. 337; Ganglbauer, Bestimm.-Tabell. eur. Col., VIII (Verhandl. Zool.-bot. Gesellsch. Wien, 1883), 1884, p. 133 (567).